



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Virtutem assequendi Motiva. Excellentia, laudes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Si quis autem superedificat -- lapides pretiosos.* 1. Cor. 3. 12. Per lapides pretiosos designantur opera diversarum virtutum, quibus anima humana ornatur. Eccli. 50. 10. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* S. Thom. Aqu. hic.

#### Ex Patribus, & aliis.

Si circulus non magnitudine spatij, sed quâdam conformatione, ceteris præstat; quâto magis de virtute existimandum est; quod non majoris loci occupatione, sed divinâ quâdam congruentiâ rationum, atque concordiâ, ceteras affectiones animi superat. S. August. l. de quantitate animæ c. 16.

Viatores valde solliciti sunt de bonis hospitij. Bona hospitia ad quiescendum sunt, charitas, misericordia, patientia, castitas, & ceteræ virtutes. S. Bonaventura. l. 2. D. 3. Epiph.

Stella. Lem: *Non indiget aurô.* Virtus ipsa sibi magnum præmium est; nec ornamenta ulla aliunde desiderat. Justus Lipsius præfat. l. 1. var. lect. Picinelli.

Ursa minor. Lem: *Sine occasu felix.* Vel: *Sub Jove clarior frigido.* Idem.

#### §. II.

#### Virtutis vocabula, & nomenclatio; in quo consistat.

*Recti diligunt te.* Cant. 1. 3. *Sept. rectitudines diligunt te.* Virtutes vocantur rectitudines: quia ipsarum essentia, & perfectio, in rectitudine consistit, omni curvitate submota. De Ponte hic Exh. 16.

Tot videberis accepisse uxores, quot virtutibus gaudes. Origenes hom. 11. in Gen.

Nil aliud sunt virtutes, quàm ordinatæ affectiones. S. Bernardus tr. de gratia, & lib. arbitrio.

Si à fine denominatur res; & virtutes ducunt hominem ad illam finalem beatitudinem; ideo virtutes dicuntur beatitudines. S. Vincent. Ferr. l. 1. de S. Martino.

Ordinantur acies virtutum, & præparantur in clypeis, & lanceis, adversus castra vitiorum. De castris virtutum ejicitur virtus, quæ præter ordinem evagatur: perdit enim virtutis nomen, quæ egreditur ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Petrus Cellens. de pane. lug. c. 13.

#### §. III.

#### Virtutem assequendi motiva.

#### Excellentia, laudes, prærogativa.

#### Ex Veteri.

*Non cognovit homo sepulchrum ejus usque in presentem diem.* Deut. 34. 6. verum æterna ejus durat memoria; non Mausolæi suffragio, sed egregiè factorum auxilio. Gloriosius post mortem prædicant egregia facta, quàm insana, & arte totâ elaborata, fe-

pulchra: tempus ferreò dente marmorea devorat simulachra: virtus æterna est, nec temporum assultibus vincitur. Naxera in Jos. 12. §. 6.

*Quæ est petitio tua Esther.* -- *Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Esth. 7. 2. Pro eruendo populo à mortis sententiâ, solum datur, regem exorare, Estheri. Cur non etiam datur potestas ad aliqua miracula; sicut Moyfi pro liberando populo à servitute: cum majori in periculo veretur populus sub Assvero, quàm Pharaone. Esther tunc non pro regno, sed pro populo, rogat. Ubi tam conspicua barbaris erat virtus Esther, ut etiam oblatum regnum sperneret; non necessaria erant miracula, ut Assveri mentem in pietatem moveret. Sylveira in Matth. 21.

*Vir erat in terra Hus nomine Job: & erat vir ille simplex, & rectus.* Job. 1. 1. Quid potissimum, & primum, mirari debeamus in hominibus, sacra author historiarum nos ad monet: virtutem nempe præ ceteris admirationi, laudique, esse debere. In Jobo enim non opes prædicat, & liberos; sed hæc, quasi appendicem fortis, narrat, postquam justum, dixit, & innocentem. Nos, morum omniâ probitate, solas in hominibus opes veneramus: tantique facimus Senatorem, non quanti est; sed quanti eum haberi faciunt supellex, & genus. Oliva l. 6. Strom. §. Vir erat &c.

*Tempus flendi, & tempus ridendi.* Ecclæ 3. 4. Virtutes faciunt nobis tempora bona; vitia, & peccata, faciunt tempora mala. Salenius hic.

*Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Eccl. 9. 7. Panis, & vinum, rationalis creaturæ, sunt ipsæ virtutes, ex quibus animæ nutriuntur. Olympiodorus hic.

*Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens &c.* Cant. 8. 5. Delicijs affluimus, cum virtutibus abundamus. Super dilectum innititur, cum Deo adscribimus, quidquid boni operamur. *Sicut virgula fumi ex aromatibus ascendimus;* cum virtutum studio, & disciplinâ exercitati, proximos nostros ad bene agendi similitudinem incitamus. S. Bernardus in Sententijs.

#### Ex Novo.

*Beati pauperes spiritu &c.* Matth. 5. 3. In quavis beatitudine duo tanguntur; scilicet meritum, & præmium. Meritum est ipsa beatitudo via, videlicet actus virtutis, cum dicitur *beati &c.* Præmium verò est merces merito correspondens; quod tangitur, cum dicitur, *quoniam &c.* Cum enim actus virtutis sit in hac vita laboriosus, aliquò modò, maxime in principio (ars namque, & virtus, sunt circa difficilia, secundum Philosophum) idcirco Salvator, beatitudines commendans, protinus subdit de præmio: ut ad beatitudines exercendas nos excitet. Commemoratio enim mercedis provocat, & confortat, laborantem. Dion. Carth. hic.

*Ipsorum*

*Ipsorum est regnum caelorum.* Matth. 5. 3. Fortassis unaquaque virtus est regnum caelorum; ut, juxta hunc sensum, jam in regno caelorum sit, qui secundum virtutes vivit. Origenes tr. 1. in Matth.

*Omnis arbor, quae non facit fructum bonum &c.* Matth. 7. 19. Cur arbori bonae non deputatur praemium, sicut mala poena? *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Apoc. 3. 4. Qui vicerit, sic vestietur vestibus albis. Si ipsi jam habebant vestes puras; cur illis haec promittuntur? non potius promittuntur, purpura, byssus, aurum, gemmae? Quia virtus ipsa sibi praemium, & ornatus. Sylveira hic q. 12.

*Fuit in diebus Herodis.* Luc. 1. 5. Dum Lucas Zachariae dignitatem, & nobilitatem, describit; apponit verbum fuit praeteriti temporis: dum autem ejus, & uxoris, sanctitatem narrat, ponit verbum erat imperfecti temporis: *erant justi ambo ante Deum.* v. 6. Verbum fuit significat rem praeteritam, ac transactam: verbum autem erat aeternitatem, ac permanentiam: & ideo usus est eo Joannes in generatione aeterna: *in principio erat Verbum &c.* Omnis hujus saeculi dignitas, & nobilitas, citò deficit: justitia autem coram Deo aeternum durat. Sylveira hic q. 1.

*Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei &c.* Luc. 11. 28. Dicitur, in majori estimatione esse apud Deum minimam virtutem, quam supremam dignitatem. Sylveira hic.

*Nondum venit hora mea.* Joan. 2. 4. Non appellavit Matrem ex carne, qui tantum virtutis in hominibus quaerit. Sim. Cass. l. 2. c. 25.

#### Ex Patribus, & alijs.

Verè dives, qui, in conspectu Dei potest dives videri: in cujus conspectu terra exigua, Mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus divitem novit, qui ut dives aeternitati: qui non opum, sed virtutum, fructus recondat. S. Ambrosius ep. 10. ad Simplicianum.

Libenter in sinu Sanctorum quiescit Dominus: unde & Joannis Evangelistae sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo, in quo Christus requiescit, non corporis gremio praeparatur, non vestimentorum ambitione componitur; sed caelestium virtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Joanne Evang. fides: in Deo Patre divinitas: in Maria Matre Virginitas. Ibi sinus Christi est, ubi habitaculum est virtutum. Ibi reclinat caput suum, ubi domicilium caelestium invenit praceptorum. Idem s. 18. de sancta Epiphania.

Amiserunt omnia (Christiani, ut obiciunt Gentiles) quae habebant. Nunquid fidem? nunquid pietatem? nunquid interioris hominis bona; qui est ante Deum dives! Haec sunt opes Christianorum; quibus opulentus dicebat Apostolus: *est autem questus magnus, pietas cum sufficientia.* 1. Tim. 6. 6. S. August. de civit. l. 1. c. 10.

Polyanth. Sacra Tom. II.

Semper virtus rara est; & arcta, & angusta, via; quae ducit ad vitam &c. S. Hieron. in Ezech. c. 32.

Vera ergo divitiarum, non opes sunt, sed virtutes; quas secum conscientia portat; ut in perpetuum dives fiat. S. Bernardus de adv. D. l. 4.

Vestes nostrae virtutes sunt: bona vestis charitas, bona vestis obedientia. Idem s. 7. in Septuag.

Non recti planè, sed perversi, est animi; ante quaerere gloriam, quam exercere virtutem; & velle coronari, qui legitime non certaverit. Frustrà ad celsitudinem nititur gloriae, qui prius non claruit virtute. Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriae est. Cujus vita repleta bonis, quid? nisi mensa repleta cibus? Idem s. 1. in Natali S. Victoris Conf.

Per virtutem pervenitur ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.* Ps. 23. 8. 10. Et alibi ait idem Propheta: *ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Ps. 62. 3. Idem s. 5. de adv. Dom.

Beata illius latitudo animae, beata strata illius mentis; ubi Pater, & Filius, ut non dubito, una cum Spiritu S. recumbit, coenat, & mansionem facit. Quibus, putas, opibus, quibus copijs, tales convivae pascuntur? Pax ubi primus cibus est, humilitas simul apponitur, ac patientia; mansuetudo quoque, ac lenitas: & quod summæ ei suavitatis est, puritas cordis. Charitas autem in hoc convivio principale obtinet locum. Origenes hom. 2. in Cant.

Quid est vestimentum animae? virtus: quae nuditas? peccatum. S. Chrysost. hom. 25. in acta.

Si sis memoriae cupidus; ego te doceo viam veram, & apertissimam. Virtutis curam gere: nihil enim facit nomen adeò immortale; ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum Reliquiae; ostendit memoria eorum, qui rectè, & ex virtute, vixerunt. Idem in Ps. 48.

Sicut licet quis margaritam lutò obruat, nihilominus nativam retinet pulchritudinem: sic & virtus, quodcumque eam projeceris, suam vim exerit, etiam in servitute, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. Idem hom. 63. in Gen.

Nihil est virò vilius (etsi rex sit) quando est vitio deditus: quemadmodum nihil est vel captivò regalius, ac magnificentius; quamdiu virtutem possederit. Idem in Ps. 6.

Quid prodest homini? si pecunias possideat, virtutem verò non possideat? Villam, inquit, fertilem habeo. Quid est hoc? at animam fertilem non habes. Habeo mancipia; sed virtutem non habes: quod alterius est, habes; tua verò non habes. Idem hom. 6. tr. in terrae motum.

Erit, erit major caelo, qui sic vixerit, sicut docuit Paulus: erit clarior sole; qui sic virtutum radijs totò orbe splendet; ut fuscari se nullà vitiorum nocte permittat. Erit, erit iste lucidior lunâ, qui tenebras has non tenua-

to lumine temperat; sed totam sæculi noctem plenò meritorum fulgore depellit. S. Chrysol. l. 120.

Virtutis desiderium præcellit miraculorum operationem, Prophetia donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitarum gratiam, naturalium scientiam, & cognitionem celestium. Multi talibus perierunt; virtutibus autem nemo. S. Laur. Just. opusc. de inter. confl. c. 9.

Hæc est hæreditas nostra; quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterum potest. Lactantius div. instit. l. 7. de divino præmio.

Apud amatorem virtutis virtus ipsa jam præmium est. B. Eucherius l. 6.

Virtus est gratuita unctio regalis promotionis. Sicut enim reges, qui promoventur ad regna terrena, ununtur; sic Deus Electos suos ungit unctio gratiæ, ad obtinenda regna celestia, & terrena. S. Bonaventura dicit. Sal. c. 24. de virtutib. in comm.

Quid est vita nostra? virtutes sunt vita nostra, quibus anima rectè vivit. S. Dorotheus Doctrina 8.

## §. IV.

*Virtutem comparandi motiva varia.**Ex Veteri.*

*Dixit Deus: fiat lux; & facta est lux* &c. Gen. 1. 3. Quod præcinit David: *ipse dixit, & facta sunt.* Non manus admovit Deus; sed Verbo omnia condidit: ut ostendat, quam facilè sit studium virtutis; præcipuè quia Deum in eo habemus adiutorem. Pinna Ethol. 182.

*Vocabis nomen ejus Isaac.* Gen. 17. 19. Filius Abrahæ virtus est. Isaac interpretatur risus. ita Philo l. 2. allegor. Et Rebecca, quæ interpretatur *Patientia*, copulatur Isacco. Idem Ethol. 7.

Jacob suavem requiem reperit super lapidem: Gen. 28. 11. Sic vir justus in virtute. Idem ibidem.

*Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Ex. 16. 15. Panis, quem terra profert, multò labore constat: *in sudore vultus tui vesceris pane.* Gen. 3. 19. Cælestia, virtutes, facilè parantur; terrena difficulter. Idem Ethol. 182.

*De petra melle.* Pl. 80. 17. Carent humana lætitiâ, quam virtus habet. Per petram, ex qua Moyses aquam dulcem elicuit, quam Psalmista vocat *mel*, intellige virtutem; ex qua dulces emanant aquæ voluptatum.

*Qua est ista, qua ascendit per desertum?* Cant. 3. 6. Arab: *ex deserto.* Angeli, inquit Nyssenus, Theodoretus, S. Ambros. &c. Et homines, talem animam cernentes, quasi admirantes dicunt: quænam est ista? quàm streua, quàm fortis! quæ, cum descendere deberet; eò quòd ex Adæ terra compacta est, originisque pondere per ima scelerum præcipitem se dedit; nunc vi novâ, planèque mirâ, in virtutis ardua conscendit? Ascendit, inquam, de deserto Mundi, ubi solitudo est virtutis, & sanctitatis? Cornelius hic.

*Sicut Virgula fumi.* Ibidem. Anima facta vocatur virgula fumi: quia gracilis est, & delicata; disciplinis Spiritus S. attenuata; subtilis, non habens consuetudinem carnalium desideriorum. S. Gregor. & Cassiodorus.

*Ex Patribus, & alijs.*

Cicures, & placidæ, accessu faciles, ac perviæ, virtutes suppeditant bona, & dilargiuntur; vitæ sunt conciliatrices. S. Basilus in II. 8. q. d. ignavus eam habet de virtutibus, & pœnalibus operibus opinionem; quòd sint efferrati leones, tygrides, monstra. Sed errant: quia virtutes, & omnes exercitationes, cicures, & placidæ, aves sunt; quæ facilè capi, mansuescunt, possunt: columbæ sunt sine felle, agni sine unguibus. Did. Niss. Polit. Coel. p. 2. q. 3. Virtus ignaviâ nostrâ ardua.

Somniores sunt, qui immanem, & feram, virtutem opinantur. S. Gregor. Nyss. de Virginit. c. 23. Inaccessæ rupes putantur; quæ est planus compus: impervium mare; quòd est vadus fluviolus. Did. Niss. ibidem.

In urbibus, quasi in solitudinibus, versans: quòd hominum congressus illius virtutem nihil læderet. S. Gregor. Nyss. orat. fun. de fratre suo. S. Basilio.

Virtus habet laborem brevem; fructum verò cum hilaritate indefinentem. S. Chrysol. l. 6. hom. de Anna.

Talis est virtus: habet quidem brevis temporis laborem; perpetuam autem lætitiâ. Idem in Pl. 140.

Omnia mortalibus ad virtutem providentur: & inter tot armamenta justitiæ non esse justum, creaturæ defectus est, non incuria Creatoris. Hildebertus ep. 32.

A virtute quies, vitij est exordium. Studita l. 108.

Omnes animæ vocantur ad Sabbathum virtutis; ut ad Sabbathum æternæ beatitudinis perveniant. Sim. Cass. l. 4. c. 7.

Benjamin aliâ interpretatione virtutis filius appellatur. Naturali nempe amore fertur filius in parentem. Etenim omnis homo sic creatus est, cum divinam in se suscepit imaginem; ut in virtutem, velut in matrem, invulsi bili amore feratur. Idem l. 14. Joan. 21. 6.

## §. V.

*Virtus una non sufficit; omnibus orneris.**Figuræ, Symbola.**Ex Veteri, & Novo.*

*Erminet terra herbam virentem, & facientem semen; & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Gen. 1. 11. Quibus verbis innuit: velle se, dum terra omnis generis fructus profert; ut anima quoque varios fructus virtutum, & bonorum operum proferat. Bessius D. 2. Adv.

*Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Gen. 27. 27. Exercendis ad sanctimoniam mentibus, atque corporibus, ipsa quoque mundi elementa famulantur. S. Leo l. 6. de jejunio septimi mensis.

Gyra